

stantinus ejus filius, hujus nominis V. a stercore, quo, dum baptizaretur, sacrum Fontem sordavit, dictus *Copronymus*. Fuit etiam appellatus *Cabalimus* ab equino stercore, cujus odore & tactu, homo impurissimus vehementer delectabatur. Extat in Operibus S. Damasceni Oratio contra Constantinum *Cabalinum*, quam doctissimus noster *Combesius* in Historia Hæresis Monothelitarum, & tom. 2. Auctarii Bibliothecæ Patrum Græcorum edidit, dignamque censuit, quæ Sancto Damasceno, qui pro sanctis Imaginibus egregiam navavit operam, vindicetur. Eandem Orationem Cl. noster, mihiq; amicissimus *Michael Quien* in recenti, quam adornavit, Operum S. Damasceni Editione publicavit; illam tamen Sancto Damasceno, ceuspurium fortum, adjudicat (a). Impietatem Patris sui *Leonis* superavit *Constantinus Copronymus Imperator*. Nullum quippe fuit superstitionum, præstigiæ, & fascinationum genus, cui non esset supra modum addictus. Leges omnes tam divinas, quam politicas impune violavit. In omnem præterea libidinem effusus, Deiparæ Virginis, & Sanctorum hostis infensissimus fuit, sacrarum Reliquiarum exterminator, sanctarum Imaginum everfor, & nefarius Orthodoxorum infestator. Constantinopoli anno *DCCLIV.* Pseudo-Synodum suæ farinæ Episcoporum convocavit, in qua decretum est, Imagines Idola esse, qui eas colerent Idololatrias; jussimque, hanc Pseudo-Synodum *seprimam Ecumenicam* esse appellandam. Circa vero administrationem Imperii hæc gessit *Constantinus Copronymus; Artabasdum*, qui Imperium occupaverat, vicit, eumque & duos ejus filios excæcavit; Arabes expugnavit; cum Bulgaris primum infeliciter bellum gessit, sed ipsos postea ingenti prælio fudit; Exarchatum amisit in Italia, denique, bellum iterum Bulgaris illaturus, miseram in hac expeditione efflavit animam non longe ab *Arcadiopoli* ex dolore carbunculi in pedibus anno *DCCLXXV.* cum imperasset ab obitu Patris annos *XXXIV.* menses duos, dies viginti sex. Ejus corpus sepultum fuit Constantinopoli in Basilica SS. Apostolorum Petri & Pauli, sed postmodum justo Dei judicio inde effossum, jubente *Michaele* Imperatore *Theophili* filio, in Foro *Aemastriano* crematum est. *Constantino Copronymo* successit in Imperio Orientis *Leo* hujus nominis *IV.* ejus filius, qui an. *DCCLI.* die sexta mensis Junii a Patre in consortium Imperii adscitus, ejus impietatem imitatus est. Adversus Orthodoxos immaniter sævit, imagines everti jussit, & ad earum exterminium Pseudo-Synodum convocavit. Gemmarum insana cupiditate flagrans, coronam auro, lapillisque pretiosissimis radiantem, quam Imperator *Heraclius* Religionis ergo, & in Dei honorem in templo deposuerat, suo ipse capiti sacrilega temeritate imposuit. Quod scelus illicius scelesti erumperent carbunculi, quorum cruciatibus periit, anno *DCCLXXX.* postquam ab obitu Patris imperasset annos quinque exceptis diebus sex. In regimine Imperii hoc unum dumtaxat laude dignum fecit, quod, validissimo in Syriam misso exercitu, innumeram Saracenorum multitudinem cæcidit. Post ejus obitum *Irene* ejus uxor, & *Constantinus* ejus filius annum duodecimum agens Imperii habenas moderari

coeperunt, Monasteria in libertatem asseruerunt, & viam salutis omnibus aperuerunt, uti narrat *Baronius* ex *Theophane*. Verum, *Constantinus* hujus nominis *VI.* *Leonis IV.* & *Irenes* filius decennio post susceptum a Patre Imperium, hoc est anno *DCXC.* *Irenem* matrem suam rerum administratione privavit, solusque per septem annos, idest usque ad annum *DCXCVII.* crudelissime regnavit: quare omnibus exosus, *Irenes* matris suæ jussu excæcatus est, tantaque crudelitate ipsi effossi sunt oculi, ut paulo post præ dolore e vita migravit. Eo itaque Imperatore e vivis sublato, *Irenes* ejus mater Imperio sola potita est per quinque annos, hoc est, usque ad annum *DCCLII.* quo *Nicephorus* Patricius Constantinopolitanus eam in ordinem redegit, & eam omnibus fortunis exutam in *Lesbum* relegavit, ubi nondum vertente anno, defuncta est. Ipse vero *Nicephorus* eodem anno *DCCLII.* vacuum Orientis Imperium invasit, de quo plura dicemus in Historia noni Ecclesiæ sæculi.

„ (a) Hanc orationem Damasceno nequaquam „ tribuendam esse non immerito *Lequienus* suspicatur; per conjecturam tamen indicat adscribendam potius *Joanni Hierosolymitano* (cui etiam vindicant veteres quidam Codices ab eo indicati), ita tamen ut nec tota sit ejusdem *Joannis* fidei confessio illa quæ in eadem oratione post quamdam veluti præfationem recitatur, ex *Lequienii* conjectura eadem est quam *Joannes Hierosolymitanus* sub exordio nascentis hæresis *Iconomachorum* dedit; cætera vero cum præfatione ipsa aliis adjecit.

D. Fuitne in Occidente felicior Ecclesiæ conditio sub Principibus Christianis octavi sæculi? M. Recepto in Occidente impio & ferali *Leonis Isaurici* Imperatoris Orientis contra sacras Imagines Edicto, voluerunt Itali avitæ Religionis tenaces, in apertam defectionem erumpere, & excusso *Leonis Isaurici* jugo, novum Imperatorem Catholicum creare. Ast *Gregorius II.*, qui tum temporis universæ Ecclesiæ clavum regebat, susceptis consiliis intercessit, populumque, ne ab obedientia Imperatoris desciceret, impedivit. Quapropter fides adhibenda non est *Theophani*, quem *Zonaras* & *Cedrenus* Scriptores Græci secuti sunt, asserentes, *Gregorium II.* Romam, atque Italiam, cæterasque Occidentis Provincias ab obedientia, Imperioque *Leonis Isaurici* abduxisse, quod quidem oppido falsum esse, constat ex testimoniis *Anastasio Bibliothecarii*, & *Pauli Diaconi*, qui, ut videre est apud *Baronium*, affirmant, *Gregorium II.* Pontificem Maximum tumultuantes populos, & ab Imperatoris obedientia recedente meditates, in obsequio & fide Imperatori debita continuasse. Non inficior tamen fieri quidem potuisse, ut Itali ex hæresi *Leonis Isaurici* Imperatoris a *Gregorio II.* Summo Pontifice damnata, occasione sumerent pellendi Duces ab Imperatore per Italiam constitutos, & vectigalia non solvendi; sed ab hac rebellionem fovenda tantum abfuit Romanus ille Pontifex, ut Exarcham hæretici illius Imperatoris, cujus conversionem sperabat, & suis ad Deum precibus obnixè flagitabat, in

int-

integrum restituerit, sicut refert *Anastasio* in Vita *Gregorii II.* Verum, cum *Longobardorum Reges* Italiam octavo sæculo armis atrociter vexarent, & Romam sæpius obsidione cingerent, nec in tanto rerum discrimine eorum impetus Imperatores Græci compescere aut possent, aut velent: coacti fuere in his angustiis constituti Summi Pontifices *Gregorius II.* *Gregorius III.* *Zacharias*, & alii eorum successores omni præsidio destituti, convolare ad Reges Francorum *Carolus Martellum*, *Pipinum*, & *Carolus Magnum*, eorumque implorare auxilium, quod ipsis feliciter cessit. Reges quippe Francorum, validissimo in Italiam ducto exercitu, *Longobardos* profligarunt, ipsique ereptum *Ravennæ Exarchatum*, in potestatem Romani Pontificis transtulerunt, ut videre est apud *Anastasio* Bibliothecarium in Vita *Stephani III.*

D. Summam laudem profecto merentur Galliarum Reges, quorum pietati ac munificentia tam amplum dominium Romana Ecclesia acceptum referre debet. Sed ut gesta Regum Francorum magis perspecta habere possim, describe nunc breviter seriem, & præclara facta Regum, qui octavo Ecclesiæ sæculo Monarchiam Gallorum gubernarunt.

M. *Dagobertus III.* qui ut jam observavimus, in Francorum Regnum anno *DCXXI.* successit Patri suo *Childeberto III.* ejusque successores *Chilpericus II.* *Clotarius IV.* & *Theodoricus IV.* Regium dumtaxat nomen & titulum habuerunt, summa vero potestas fuit penes *Carolus Martellum* Majorem domus Regiæ, virum singulari virtute, maxima auctoritate, & felicitate pene incredibile præditum. Nemo enim plura quam *Carolus* bella civilia & externa gessit, nemo plura prælia commisit, nemo plures ex hostibus victorias tulit, quas inter insignis est, omniumque Historicorum calamo celebrata illa victoria, quam prope *Turones* de *Saracenis* Gallias misere devastantibus reulit, in qua ad trecenta septuaginta quinque hominum millia fuisse cæsa fama est. Porro tantam mansuetudinem in se exprimebat *Carolus Martellus*, ut nunquam, nisi in acie, ferrum strinxisse dicatur, nec in populares bello captos, hostesque sæviisse; immo, cum *Rangefredo* apud *Francos Neustrasios* Majori domus conjurato inimico suo, cum vitam adimere posset, non solum non ademit, sed Civitatem *Andegavensem* illi ditioni subjecit. *Childerico II.* Gallorum Austrasiorum Regi, quem duplici prælio devicit, Regnum, nomen & insigne Regium reliquit. *Hunoldo* *Eudonis Aquitanicæ Ducis* filio *Aquitaniæ* reddidit, *Plectrudem* novercam suam, a qua custodia antehac mandatus, paternis opibus fuerat injuste exclusus, punire nefas duxit. Denique, *Carolus Martellus* se se munificentissimum præbuit erga Monasteria *Trevirensis*, *Fontanellense*, & *San-Dionysianum*, & multa alia Cœnobia vel ipse erexit, vel locupletavit, ut passim in suis *Annalibus* demonstrat doctissimus *Cointius*. Ex his & aliis id genus *Caroli Martelli* virtutibus, ac rebus præclare gestis, quæ legi possunt apud *Hadrianum Valesium* lib. *xxv.* *Rerum Francorum*, fa-

cili negotio evincitur, falsum omnino esse, quod nonnulli Noni Scriptores sæculi finxere, videlicet *Carolus Martellum* post mortem ad Inferos damnatum esse, eumque in inferno torqueri vidisse *Eucherium* Episcopum *Aurelianensem*. Hanc quippe male consarcinatam fabulam exploserunt *Baronius* in *Annalibus*, *Sirmondus* in *Notis ad Caroli Calvi Capitulare* *xxiii.* *Henschenius* in *Notis ad Vitam S. Eucherii*, & *Cointius* ad an. *DCCLIII.* n. *iv.* & seq. Falsum itidem est, *Carolus Martellum* Ecclesiastica bona laicis distribuisse, & Ecclesiarum pecunias in usus proprios vindicasse. Auctor quippe libelli de *Majoribus domus Regiæ* testatur, *Carolus Martellum* nihil Ecclesiis abstulisse, ut inde ditior fieret, sed ut stipendia militibus daret propter assiduitatem bellorum, præsertim adversus *Saracenos*, *Saxones* & *Frisios*, qui in tenebris *Idololatriæ* adhuc erant immersi. Fatendum tamen est *Carolus Martellum* redditum Ecclesiasticorum administrationem laicis, aut Clericis nulla professionis suæ nota insignitis concessisse, quod in gravem postea degeneravit abusus. Episcopi siquidem suarum Ecclesiarum redditibus destituti, videbantur tantum vicarii, vel *Suffraganei*, aut *Chorepiscopi* *Administratorum*, aut *Commendatariorum* (a). Jussit quidem *Pipinus* filius *Caroli Martelli*, ut, juxta tertium Canonem *Concilii Sueshonenensis* id ætatis celebrati, Episcopi legitimi, non vero laici intrusi, Episcopatus, & bonis Ecclesiasticis pleno jure potirentur. At hoc *Pipini* decretum, aliaque ejus super hac re ab eo promulgata *Edicta* effectu penitus caruerunt, tum quia hi laici, qui bona Ecclesiastica possidebant, potentiores erant, quam ut ex illorum manibus ea extorqueri possent; tum quia ipsemet *Pipinus*, qui præter Regiam, qua in Gallis pollebat, potestatem, titulum adhuc Regium peroptabat, cautior erat, quam ut viros præpotentes, qui bonis Ecclesiasticis impune fruebantur, a se alienare vellet. Quo factum est, ut octavo sæculo multæ Ecclesiæ in Gallis, præsertim *Remensis*, & *Senonensis*, Episcopis & *Metropolitibus* carerent, quia honorum Ecclesiasticorum usurpatores prædam, cui inhiant, sibi e manibus eripi nequaquam patiebantur, totisque viribus impediabant, ne legitimi Episcopi, aut *Metropolitæ* suarum Ecclesiarum possessionem inirent. Ad hunc gravissimum in Gallis grassantem abusum, multa octavo sæculo habita sunt Concilia, de quibus alio in Colloquio data opera differemus. Obiit *Carolus Martellus* de Regno *Francico* optime meritis anno *DCCLXI.*, & quatuor superstites reliquit filios, videlicet *Carolomannum*, cui *Austrasiam*, seu *Orientalis Franciam* dedit; *Pipinum*, cui *Neustriam*, seu *Occiduum Franciam* quasi hæreditariam reliquit; *Egydium*, quem sacris addictum ad *Rotomagensis Episcopatus* Insulas promoverat, antequam moreretur, & *Grifonem* natu minimum, quem, utpote ferocem, ab hæreditate exclusit. *Carolomannus* *Orientalis Franciæ* Rex post debellatos *Saxones*, & *perdomitos Alemannos*, mundo, & Regno nuncium remisit, atque *Pipino* permisis fortunis ac ditionibus suis, in *Cœnobia* *Montis Cassini* vitam monasticam professus, sancte obiit.

obiit. Videbis Carolomanni Elogium, quod textit *Mabilionius* part. 2. sæculi 3. Benedictini. *Grifonius* filius Caroli Martelli natu minimus ægre ferens, se in nullam hæreditatis partem admissum, bellum adversus fratres suos movere cœpit, sed sæpius debellatus, & e tota Francia expulsus, in Alpium transitu, dum Italiam peteret nova bella instauraturus, occisus est. Carolomanni abdicatione, & Grifonis morte, omnis potestas in unum Pipinum ipsorum fratrem germanum tradita est. Regium quidem nomen & honoraria jura *Childericus* hujus nominis III. qui anno dcccLII. Francorum Rex salutaris fuerat, per decennium adhuc retinuit, sed anno dcccLIII. ob fœcordiam in Conventu Suesionensi depositus ac detonsus in Sivitense, seu Bertinianum Monasterium detrusus est, & Pipinus Galliarum Rex fuit renunciatus. Cum hoc Childerico extincta est prima stirps Galliarum Regum *Merovingiorum* dicta, cœpitque in Pipino secunda stirps Regum Francorum *Carolingiorum* nuncupata. Pipinus itaque Galliarum Rex inauguratus iis virtutibus inclaruit, quæ nomen ejus ad æternam memoriam propagarunt. Romanos quippe Pontifices Stephanum II. & Stephanum III. protexit a Longobardis, & a Græcis injuste vexatos. Longobardos in Italia aggressus est & proffigavit. *Aistulphum* eorum Regem in fugam dedit, & cum illo ea tantum lege pepigit pacem, ut Ravennatam Exarchatum, aliasque Civitates Romano Pontifici restitueret. Ast Francorum discessu *Aistulphus* meru solutus, cum datis promissis stare nollet, iterum Pipinus transgressus Alpihus hostem adoritur, ipsique ereptum Ravennæ Exarchatum Romano Pontifici asseruit, ac perpetuo addixit. Post hæc, & alia id genus præclare gesta Pipinus anno Regni sui XVII. seu anno æræ Christianæ dcccLXVIII. extremum diem clausit Parisiis. Ejus filii *Carolus*, & *Carolomanus* eodem anno paternum Regnum partiti sunt; sed Carolomanno intra triennium extincto, *Carolus* solus regnavit, & sub ipso Occidentalis Imperii dignitas, quæ anno ccccLXXVI. in *Augustulo* desierat, meliore Orbis Christiani sæculo post interstitium annorum ccccXIV. resflorece cœcepit. Fuit autem *Carolus* a magnitudine rerum gestarum, *Magnus*, post mortem appellatus, domi forisque optimus, ingenit ac morum virtutibus clarus, bellicaque virtute nulli secundus. Hadriano I. Pontifici Maximo contra Longobardos suppetias laturus, cursu celeri superatis Alpihus cum numerofo exercitu, in Italiam venit, & a Summo illo Pontifice apparatu honorificentissimo Romæ exceptus, donationem a Pipino Patre suo Romanæ Ecclesiæ factam, confirmavit, addito Spoletano Ducatu. Dein, Roma digressus Ticinum, seu Papiam obsedit, ubi capto *Desiderio*, ultimo Longobardorum Rege ac Leodium relegato, Longobardorum Regno potitus, a Leone III. Pontifice Maximo, ob præclaram Ecclesiæ Romanæ navatam operam, Imperator Occidentis est renunciatus, aureoque diademate coronatus die Natalis Christi Domini anni dcccI. Multa Capitularia edita a *Baluzio* tom. 1. Capitularium Regum Franciæ inserta, quæ leges cum Ecclesiasticas, tum

civiles complectuntur, edidit. Complures Ecclesias, variaque Monasteria muneribus & privilegiis auxit, quæ in Annalibus Ecclesiasticis Francorum a doctissimo *Carolo Coitio* exaratis describuntur tomo VI. Academias Parisiis, Osnaburgi, Papiæ, Bononiæque fundasse dicitur, & pluribus in Civitatibus Scholas publicas ad Juvenum educationem instituit. Hæc ad propagandam Religionem, restituendam disciplinam, atque amplificandam Ecclesiæ Romanam præstitit *Carolus Magnus*, cujus bellica virtus in administratione Regni maxime emicuit. Ab anno siquidem dcccLXII. usque ad annum dcccLXXV. cum Saxonibus pertinax bellum gessit, quod feliciter tandem consecit, illis, una cum *Witbekindo* eorum Duce, ad baptismum suscipiendum adductis. *Frisios*, *Hungaros*, *Saracenos* in Hispania, *Avares*, *Bohemos*, & *Danos* vicit ac proffigavit. Sed de *Carolo Magno* in nostris Colloquiis in nonum Ecclesiæ sæculum iterum redibit sermo, quia ad exordium noni sæculi, hoc est, usque ad annum dcccXIV. vitam produxit.

„ (a) Id moris seu potius abusus jam olim ante hæc tempora in Italiam introductum eruere mihi visus sum ex epistola Felicis IV. ad Ecclesiæ Ravennatensem Episcopum, in qua edicitur, ut bona Ecclesiastica e manibus divitum laicorum vindicentur & restituantur Ecclesiis, quæ eorum administrationem Clericis committant. Epistolam hanc integram servavit nobis *Agnellus* in suo Pontificali Ravennatensi a P. Bacchino edito, ut in notis ad vitam Felicis indicavi.

D. Gaudeo plane, quod de Ecclesia Romana tam bene meriti sint Gallorum Reges, & extinctam jam diu in Occidente excitant Imperium. Nunc Statum Ecclesiæ sub Regibus, qui octavo sæculo Hispanias gubernarunt, rogo te, ut breviter exponas.

M. Res Ecclesiæ sub Regibus, qui octavo sæculo in Hispaniis dominium obtinuerunt, pessimo loco fuerunt. At enim *Witiza*, qui, sicut superius observavimus, in Regnum Hispaniæ successit Patri suo *Egica* anno dcccI. moribus depravatum Regnum exhibuit, teste *Mariana* lib. 6. cap. 19. omnium turpitudinum maculis deformatum, crudelitate immane, & præcipue impietate adversus Divinas & Ecclesiasticas leges insigne. Excessit e vivis *Witiza* anno dcccI. Regni sui decimo, & duos reliquit filios *Ebam*, & *Sisebutum*, quibus tamen prætermisiss, *Rudericus*, ut in nummis appellatur, Hispaniæ Regnum suscepit. Verum anno sequenti, seu dcccII. a Saracenis in Hispanias irrumpentibus, victus & occisus est. Celebris est hic annus Saracenorum in Hispanias transitu, & Gothicæ Majestatis in Hispaniarum Regno extinctione, quæ *Rudericus* ultimo in Hispaniis Gothorum Regi adscribitur. Ille quippe invitam licet ac reluctantem filiam *Juliani* Comitis, *Clavam* nomine, violavit, eamque pellicis loco habuit. Quam injuriam *Julianus* ultus est Republicæ perniciæ, habitoque cum *Muza*, qui *Ulic* Miramolini Saracenorum nomine Africam gubernabat, tractatu, Mauros in Hispaniam evocavit, a quibus Hispani occupata, decretoria tandem certamine Ru-

Rudericus Rex proffigatus, deletum Gothorum Imperium, & in Christianos crudeliter sævitum est. Dum huic Hispania expeditioni totus incumbit *Muza*, & miseris modis Hispanias dilacerat, *Pelagius* quidam genere Gothus in Montibus Asturicis contra Mauros rebellat anno dcccXII. & Asturiarum Rex proclamatur. Quod cum audisset *Tarek* Saracenorum exercitus Dux, qui Cordubæ residebat, *Alchaman* militiæ Præfectum misit, una cum *Oppa* Episcopo Hispalensi, *Egica* quondam Hispaniarum Regis filio, qui a Saracenorum partibus stabat. At *Pelagius*, qui se receperat in Speluncam, cui S. *Mariæ de Covadonga* nomen est, minas & promissa, quibus *Oppas* Hispalensis Episcopus eum ad obedientiam reducere satagebat, contemnens, e latebris erupit, & Divino favente numine, ingentes Saracenorum edidit strages, *Oppamque* perfidum patriæ hostem cepit. Hoc tanta cladis nuncio percussus *Munuzas*, qui Civitati *Gegioni* Maritimæ, & Asturiis pro Saracenis præsidebat, fugam arripuit; sed ab Asturibus in vico, qui *Olalios* dicitur, captus & interfectus est. Hac insigni de Saracenis reportata victoria *Pelagius*, vir impiger, juxta ac pius, & unicum afflictæ Hispaniæ auxilium, non solum Astures ad spem libertatis erexit, eorumque Regnum firmavit, sed etiam in vicinas Regiones propagavit, *Legione* videlicet, *Gegione*, aliisque munitissimis Urbibus a Maurorum servitute, ac tyrannide ereptis. Obiit *Pelagius* anno dcccXXVIII. filiumque superstitem reliquit, nomine *Favilam*, qui ei in Regno successit, sed nulla reegregie gesta clarus anno secundo Regni sui ab Urlo interfectus est. Mortuo *Favila* absque prole, *Alphonsus* gener *Pelagii* Hispaniarum Rex salutaris, captatis ex intestinis Maurorum discordiis rei bene gerendæ occasionebus, Asturiarum Regnum armis amplificare non desistit. Fuit *Alphonsus* Rex Catholicæ Religionis cultor eximius, ob idque *Catholicus* cognominatus. Captis Civitatibus Episcopos restituit, Christianorum templa instauravit, vel Mauricæ superstitionis sordibus contaminata repurgari curavit, sacra supellectili exornavit, locupletavitque, ac denique multis virtutibus celebris, post plures de Saracenis reportatas victorias, fato functus est anno dcccLVII. quinque ex *Ormisinda* filia *Pelagii* Regis, quam uxorem duxerat, liberos reliquit, *Froilam*, *Bimaranum*, *Aurelium*, & *Aufendam*, sive *Adefindam* filiam. Ex Ancilla vero filium dictum *Mauregatum* suscepit. *Froila* in Regnum Asturiarum *Alphonso* Patri suo successit, Mauros ingenti prælio superavit, Vascones perduelles domuit; sed partem tot victoriis gloriam turpiter sædavit nece fratris sui *Bimarani*, in cujus vindictam vicissim a fratre suo *Aurelio* occisus est, relicto filio *Alphonso* dicto *Casto*. Post *Froilam* regnavit *Aurelius* ejus frater paricidio Regnum adeptus. Quo regnante bellum servile in Hispania exarsit, Servis contra Dominos arma sumentibus, quod tamen Regis prudentia mox sopitum est, ut scribit *Vasius* in Chronico. Mortuo *Aurelio* anno dcccLXXV. *Silo* sororis ejus maritus in Asturiarum, & Legionensium Regnum ei successit, sed cum filios non haberet *Silo*, neque spem su-

sciendæ prolis, animum a negotiis avertit, otio ac quieti indulgit, summamque rerum penes *Alphonsum* dictum *Castum* *Froilæ* Regis filium reliquit, ut scribit idem *Vasius* in Chronico. Ann. dcccLXXXIII. e vivis excessit *Silo*, eique successit *Alphonsus* *Froilæ* Regis filius appellatus *Castus*, quod a *Berthæ* uxoris suæ amplexibus perpetuo abstinerit. Egredere tulit *Mauregatus*, quod communi Magnatum suffragio Regnum ad *Alphonsum*, cujus Patruus erat, tametsi ex stupro genitus, fuisset delatum. Unde injuriæ ferendæ impatiens ad Mauros, & ad *Abderrhamanum* eorum Regem confugit, comparatisque Saracenorum copiis, & *Alphonso* Rege in Cantabriæ partem compulso, Regnum occupavit, quod annis quinque & mensibus sex tenuit, & per id temporis, juxta pactum, quod cum Saracenis pepigerat, solvit, prohi pudor! ignominiosum tributum annuum quinquaginta nobilium Virginum, & rotidem plebejarum. At mortuo *Mauregato* an. dcccXc. *Veremundus* Diaconus *Bimari* a *Froila* occisi filius, Asturiarum Rex acclamatus *Alphonso* cognomento *Casto* Regnum restituit, seu cum eo conregnavit usque ad annum dcccXCI. quo Historici Hispanici initium *Alphonsi* solius regnantis consignant. Fuit autem *Alphonsus* Rex, teste *Mariana*, perpetua rerum gestarum felicitate, bellicis artibus, Clementiæ, Religionis, & liberalitatis laude suis apprime charus, exteris formidabilis, cujus virtute inclinatæ Hispaniæ res steterunt. Ad ultimam senectutem cum processisset, propediem moriturus *Ramirum* *Veremundi* Regis filium in Procerum conventu successorem Regni designavit, & e vita discessit anno dcccXLI. vel, ut alii volunt, anno dcccXLIV. Hæc est series Regum Christianorum, qui octavo Ecclesiæ sæculo Legionensium & Asturiarum Regno in Hispaniis potiti Christianos a Maurorum tyrannide in libertatem asseruerunt, dum ceteri Christiani, qui in aliis Hispaniarum partibus sub Maurorum Imperio parebant, duræ servitutis jugo oppressi gement, adeoque modo *mixti Arabes*, modo *Muzarabes* appellarentur, eo quod cum Mauris, seu Arabibus promiscue essent confusi. Hinc *Missa* & *Officia* Ecclesiastica, quibus illi Christiani sacris operantes utebantur, *Mozarabica* dicebantur, qua de re legis peritos Rituum Ecclesiasticorum viros Cardinalem *Bona*, Card. *Thomasium*, & *Joannem Mabillonium*.

D. Fuitne Christiana Religio octavo Ecclesiæ sæculo apud barbaras nationes propagata?

M. Christianam Religionem octavo Ecclesiæ sæculo plurimum in Germania promovit S. *Bonifacius* alias *Winfridus* appellatus, natione Anglus, qui anno dcccXVI. predicandi Evangelii causa, assumptis duobus aut tribus Monachis, ex Anglia in Frisiam navigavit, ubi ad veram fidem erudiendis Frisii triennium, una cum S. *Willebrodo* illius Regionis Episcopo, postquam consumpsisset, Episcopali dignitate recusata, eam Provinciam deseruit ut Germaniæ partes adiret; ad quas se a Gregorio II. Summo Pontifice missum, dicebat. Ivit itaque in *Hassiam*, & *Thuringiam*, ubi felicissimo exitu Evangelium prædicavit. Exin, Romam profectus a Gregorio II. Legatus Sedis Apostolicæ creatus est, auctoritate Apostolica Gentibus, quibus

bus Christus necdum fuerat annunciatus, Evangelium prædicaret, ipsumque sibi demandatum adimpleret concionandi Officium. Episcopus etiam ab eodem Summo Pontifice consecratus est, sed nulli tamen determinatæ sedi affixus, quo facilius hac illac percurrere, Evangelium in Germania disseminaret, & Oves undique conquistis in unum Ovile congregare posset. Multa ad stabilendam fidem, & sancendam disciplinam Ecclesiæ, in Germania celebravit Concilia S. Bonifacius. *Bajoariam*, quam nunc *Bavariam* dicimus, in quatuor Episcopatus, nempe *Salisburgensem*, *Frisingensem*, *Ratisponensem*, & *Pataviensem* divisit, & in hanc Provinciam, procul eliminata Idololatria, dispulsisque erroribus, quibus adhuc *Bajoarii* adhærescebant, fidem Christianam postliminio revocavit, ut testatur *S. Willibaldus* in ejus Vita, ubi hæc habet: *non solum invitatus* (S. Bonifacius) *Bajoariorum ab Odilone Duce, sed & spontaneus visitavit incolas, mansitque apud eos diebus multis prædicans & evangelizans Verbum Dei, veræque fidei ac Religionis Sacramenta revocavit.* Post multos in Germania exhaustos pro conversione Infidelium labores, S. Bonifacius Anno *DCCLV.* Episcopus *Moguntinus* cum *Metropolitæ* dignitate a *Zacharia* Romano Pontifice factus est. Quam Ecclesiam rexit usque ad annum *DCCLIII.* quo *Frisiam* iterum profecturus *Lullum* successorem impetravit, quem ipsemet, accedente *Pipini* Francorum Regis consensu, consecravit, & in Episcopatum *Moguntiacensem* sibi substituit. Tunc vero pergens in *Frisiam* Episcopatus *Trajectensis* administrationem suscepit, cumque latas *Frisonum* Regiones prædicandi Evangelii causa, indefesso studio lustraret, venit ad flumen quoddam, ubi inhumana cæde una cum suis sociis pro fide necatus est die V. mensis Junii anni *DCCLV.* vel *DCCLVI.* & in *Monasterio* *Fuldensi*, quod ipse fundaverat, sepultus. Vitam S. Bonifacii Germaniæ Apostoli paucis ab ejus obitu annis *S. Willibaldus* scripsit, quam *Osblonus* Monachus, qui anno *MLXII.* vivebat, Epistolis, Actis Conciliorum, & aliis id genus momentis auxit, eamque præviis observationibus illustratam doctissimus *Mabillonius* inseruit part. II. sæculi III. *Benedicti.* In conversione Infidelium, qui in variis Germaniæ Provinciis octavo sæculo adhuc repeiebantur, egregiam iridem cum S. Bonifacio navarunt operam *S. Willebrordus*, *S. Willibaldus*, & *S. Wnebaldus*. Enim vero S. Willebrordus tentatam ab Archiepiscopo *Colonienfi* *Egberto*, & *Wigberto* *Frisonum* conversionem feliciter perfecit, & ut testatur S. Bonifacius in Epist. 99. ad *Stephanum* Papam, *Sedis* *Trajectensis* ad *Rhenum* Auctor ac primus Episcopus fuit, quam Sedem postea *Paulus IV.* Summus Pontifex anno *MDLX.* in *Archiepiscopalem* erexit. De ejusdem Episcopatus institutione loquitur *Venerabilis* *Beda* lib. 5. cap. 12. additque S. Willebrordum plures Ecclesias, & nonnulla *Monasteria* per illas Regiones construxisse, atque in illis Antistites constituisse. *S. Willibaldus* *Eistensis* Ecclesiæ primus Episcopus a S. Bonifacio Germaniæ Apostolo consecratus, *Monasterium* ibidem condidit, late-

que per vastas *Bajoariorum*, seu *Bavarorum* Provincias cum multis operariis Christi fidem propagavit, & postquam per multos annos hunc Episcopatum rexisset, ad Deum migravit. Duæ extant Vitæ hujus Sancti, primi Ecclesiæ *Eistensis* Episcopi. Una a quadam sanctimoniali *Heidenheimensis* *Monasterii* scripta; altera ab *Auctore* *Anonymo* perantiquo *Scriptore* edita, & utraque Vita a doctissimo *Mabillonio* sæculo III. *Benedicti.* part. II. recitata, & *Notis* illustrata est. Denique *S. Wnebaldus* frater *S. Willibaldi* in *Thuringiam* anno *DCCLXXXIII.* accessit, populos illius Provincie fide Christiana imbuere. Dein, in *Bajoariam* sese contulit, permultos ibidem adhuc *Paganorum* præstigiis pollutos a pravitate morum abduxit, atque transacto triennio in *Germaniam* rediit, ubi frater ejus *Willibaldus* in *Urbe* *Eistensi* Episcopus erat. In hac *Dioecesi* ad locum, qui vocabatur *Heidenen*, *Monasterium* extruxit, primusque fuit *Abbas* hujusce *Monasterii* *Heidenheimensis*. Plurimas *Paganicæ* pravitate superstitiones, multosque diabolica fraude deceptos *Idola* colentes in his partibus advenit. Alii namque *Aruspicia* observantes, alii *incantationum* frivola facientes, alii variis vitis impliciti ad eum occidendum vel comburendum sæpe numero per maleficia animum intenderunt. Sed vir Dei tot inter pericula intrepidus, & pro salute illorum incredibili zelo exarsuans non desinebat docendo plebem ab erroribus Infidelium persuadendo educere. Vita *S. Wnebaldi* primi *Heidenheimensis* *Abbatis* scripta a quadam sanctimoniali *Heidenheimensi* ejus consanguinea extat sæculo III. *Benedicti.* part. I.

Hunc in modum octavo Ecclesiæ sæculo Christiana fides per viros Apostolicos in Germania fata ac propagata est, a qua tamen Saxones cum identidem deficerent, coactus est *Carolus Magnus* Occidentis Imperator sæpius cum illis redintegrare bellum, donec anno *DCCLXXXV.* de eorum *Idololatria*, & perfidia insignem triumphum egit, *Saxoniam* in Provinciam redegit, *Witichindum* illius gentis Duce[m] *Baptismum* postulantem *Attiniaci* sacro Fonte levavit, eique nonnullas restituit *Arces*, alias præstidii firmavit. Tunc *Witichindus* *Saxonum* Dux sacro *Baptismate* initiatus, sciens *Carolum* *Magnum* de construendis in *Saxonia* Ecclesiis sollicitum esse, idoneum obtulit locum, quem suo jure servabat ad ripam *Wisurgis*, ubi *Mindensis* Episcopatus fundatus est, & *Herimbertus* primus Episcopus ordinatus. Præter hunc *Mindensem* Episcopatum, alius in *Saxonia* erectus est, *Verdensis* scilicet, ut ostendit *Henschenius* ad idem primum mensis Martii in Vita *S. Suiberti* Episcopi, & *Frisonum* Apostoli. Postremo, *Hunnos*, seu *Avares*, qui jam pene a trecentis annis Romanos afflixerant, quique Christianæ Religionis erant infensissimi hostes, cum *Carolus Magnus* debellare decrevisset, *Theodo*, vel *Todanus* eorum Rex ad eum supplex venit, ut una cum suis fidem Christianam, prostratis ac contritis *Idolis*, susciperet. Eum ad se venientem *Carolus Magnus* honorifice excepit, *baptizatum* muneribus

bus cumulavit, Presbyteros, qui illam gentem edoceret fidem Catholicam, misit; & thesaurum ab *Henrico* Francorum exercitus Duce ex *Hannorum* Regia Urbe, quæ *Ringus* dicebatur, ad se transmissum partim distribuit inter Episcopos, Abbates, & Optimates; partim Romam per *Angilbertum* ad limina Apostolorum deferri iussit. Sic *Carolus Magnus* bellum in Germania contra *Barbaras*, & Infideles nationes magno semper Christianæ Religionis bono gessit, easque divino adjutus præsidio, a gentili cultu sincere conversione ad fidem Christianam firmiter retinendam feliciter traduxit. Sed de his quæ a *Carolo* *Magno* in Germania pro conversione Infidelium gesta fuisse hæcenus diximus, legendi sunt *Eginhardus* in Vita *Caroli Magni*, *Poeta* *Saxonicus*, *Annalista* *Loiselianus*, *Annales* *Laureshamenses*, *Bertiniani*, *Fuldenses*, & *Metenses*. Sed satis huc usque differimus de statu, & loco quo erant res Ecclesiæ sæculis septimo & octavo sub Imperatoribus, & Principibus Christianis.

COLLOQUIUM II.

In quo exhibetur continua series Episcoporum, qui sæculis septimo & octavo præcipuas Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam tenuerunt.

D. CUM Ecclesia Romana sit omnium Ecclesiarum Mater, & illius Sedes totius unitatis Ecclesiasticæ centrum jure optimo a Sanctis Patribus appelletur; præstat ut Colloquium nostrum exordiamur a serie Episcoporum, seu Summorum Pontificum, qui sæculis septimo, & octavo Sedem Romanam tenuerunt, atque universam Ecclesiam tanquam Christi in terris Vicarii gubernarunt.

M. Teximus in nostris præcedentibus Colloquiis seriem Summorum Pontificum, qui Sedem Romanam tenuerunt a S. Petro Apostolorum Principe usque ad S. Gregorium Magnum, hoc est, usque ad annum sexcentisimum quartum, quo S. Gregorius Magnus immortalis memoriæ Pontifex, postquam sedisset annos tredecim, menses sex, dies decem, mortuus est, & sepultus in *Basilica* *B. Petri* Apostoli die XII. mensis Martii, ut scribit *Anastasius* *Bibliothecarius*. Ad superos itaque S. Gregorio Magno evocato, *Sabinianus* natione *Tuscus*, post *Interpontificium* mensium sex & diei unius, *Romanus* Pontifex ordinatus est die XII. mensis Septembris ejusdem anni sexcentisimæ quarti. Fuerat *Sabinianus* Sancti *Gregorii Magni* *Diaconus*, ejusque *Constantinopoli*, imperante *Tiberio*, *Apocrisarius*. Brevissimum fuit *Sabiniani* Pontificium. Nam, teste *Anastasio*, annum unum dumtaxat, menses quinque, & dies novem sedit, obiitque die XXI. mensis Februarii anno DCVI. Optime *Papebrochius* in conatu *Obrologico-Historico* Pontificum Romanorum observat, *Baronium* fidem adhibere non debuisse fabulæ a *Sigiberto* in *Chronico* relatæ, *Sabinianum* scilicet *Romanum* Pontificem propter avaritiam & duritiam

tem suam in pauperes, a suo decessore S. Gregorio Magno per noctem apparente increpitum, percussumque in capite paulo post excessisse ex hac vita. Hæc siquidem narratiuncula nullo antiquitatis monumento nititur, nihilque tale habet quicquam antiquorum, qui de Vita & Miraculis S. Gregorii Papæ scriplerunt, ne quidem *Joannes Diaconus*, qui tamen data opera finem libri quarti Vitæ Sancti *Gregorii Magni* ejusmodi exemplis per duodecim capita deductis implevit: Apæge ergo hanc fabulam. (a) Post mortem *Sabiniani* cessavit Episcopatus menses XI. dies XXVI. ut ait *Anastasius*, & die decima nona mensis Februarii anni DCVII. *Bonifacius III.* Patria *Romanus* renunciatus est Pontifex Romanus, qui Edictum a *Phoca*, improbissimo licet Imperatore, obtinuit, quo sanciebatur, nomen Episcopi *Ecumenici*, seu *Universalis*, unum decere *Romanum* Pontificem, non autem Episcopum *Constantinopolitanum*, qui antehac illud temere usurpaverat. Vetuit hic Summus Pontifex in *Synodo* *Romæ* habita sub *Anathematis* pœna, ne *Romano* Pontifice, vel alio quovis Episcopo adhuc vitam agente, de illius successoris electione tractaretur, nisi post tertium ejus mortis ac depositionis diem. Obiit *Bonifacius III.* die decima mensis Novembris anni DCVII. post illius mortem fuit *Interpontificium* novem mensium & quindecim dierum. Quapropter *Bonifacius IV.* ex *Valeria* Civitate *Marforum* oriundus, die vicesima quinta mensis Augusti, anni sexcentisimæ octavi fuit Pontifex Romanus consecratus. Petiit a *Phoca* Imperatore *Templum*, quod appellatur *Pantæon*, in quo, teste *Anastasio*, fecit Ecclesiam Sanctæ *Mariæ* semper *Virginis* & omnium *Martyrum*. Cujus Ecclesiæ, quæ etiamnum *Romæ* extat, dedicatio inscripta est in antiquis *Martyrologiis* ad diem III. Idus mensis *Maji*, seu ad diem XIII. *Maji*, ut videre est in *Martyrologiis* *Beda*, *Usuardi*, *Adonis*, *Nothevi*, & in *Martyrologio* *Romano* hodierno, ubi appellatur: *Dedicatio Sanctæ Mariæ ad Martyres*. Sedit *Bonifacius IV.* annos sex, menses octo, dies tredecim, & ad Deum migravit die septima mensis *Maji* anni DCXV. Vacavit sedes post mortem *Bonifacii IV.* quinque menses, & dies undecim, ac subinde *Deus* dedit Patria *Romanus*, die decima nona mensis *Octobris* ad Pontificatum fuit evectus. Sedit annos tres, dies viginti, obiitque die VIII. mensis *Novembris* anni DCXVII. Hujus Sancti Pontificis nomen in *Martyrologio* *Romano* *Galesinii*, & in antiquioribus non legitur, sed *Baronius* ob præclaras ejus virtutes *Martyrologio* *Romano*, a se auctoritate *Apostolica* emendato, illius nomen inscripsit ad diem VIII. *Novembris*. Refert etiam *Baronius* Epistolam Sancti illius Pontificis ad *Gordianum* Episcopum *Hispalensem*. Verum, hanc Epistolam supposititiam esse, ex eo maxime probat periti hujus temporis Critici, quod nullus in Ecclesia *Hispalensi* *Gordianus* sederit sub Pontificatu *Deus* dedit. Constat enim, Sanctum *Isidorum* *Hispalensem* rexisse Ecclesiam ab anno Christi sexcentesimo usque ad annum sexcentisimum tricesimum sextum, ut ex *Ildephonso* Episcopo *Toletano* colligitur, ex quo sequitur, *Isidorum* *Hispalensem* Episcopum superstitem